

D. D.
**CURA
IMPERANTIS**
CIRCA SANITATEM SUBDITORUM,
Breviter Delineata;
ATQUE
Conf. Ampl. Fac. Phil. Aboëns.

Praefide
D: NO PETRO KALM,
S. S. Theol. DOCT. Oecon. PROFESS. Reg. & Ordin.
design. EQUITE de Ord. Reg. Was. Reg. Acad. Scient.
Stockh. & Societ. Lit. Upsal. MEMBERO,

PRO LAUREA *defendenda*
A
JOHANNE SOURANDER,
V. D. M.

In AUDITORIO MINORI Die XXVII Junii
An. MDCCCLXXII.

Horis ante meridiem solitis.

ABOÆ
Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.

VIRO Maxime Reverendo atque Amplissimo

**D:NO H E N R I C O
A L A N O,**

Designato S. S. Theol. Doctori, Ecclesiarum quæ DEO in Vehmo & Localax colliguntur, Pastori longe meritissimo & adjacentis Districtus Præposito nec non Scholarum Raum. & Neostad. Inspector Gravissimo.

Patrono summa animi pietate colendo.

Quantumvis breve fuit illud temporis spatium, ex quo in Domum Tuam Honoratissimam adscisci mihi met contigit; tot tamen tantaque favoris Tui sum expertus documenta, ut frustraneam omnino impenderem operam, si intra angustam pagellam ea includere vellem merita, quæ venerabunda mente capi vix poslunt. Supra meam dicendi vim laudes Tuæ positæ omnino sunt; Tuus per dimidium fere seculum in Ecclesia Christi labor indefessus, Tua erga litterarum cultores benevolentia singularis, Tuum omnibus bene faciendi studium; præterea mens eo fulgens candore, quem omnes, quibus eundem experiri licuit, haud immerito admirantur. Ne igitur mireris, hæc cuncta pio a me involvi silentio, dum tenuissimæ huic Dissertationi, a Nomine Tuo, fulgorem mutuari ausus sum; verum adspicias eam serena, quæ Tibi semper propria fuit, fronte, meque quo cœpisti, amplecti pergas favore. Ego vicissim non intermittam summum precari Numen, ut, quos pie & honorifice vivendo attigisti canos, denuo quasi virescentes reddat, Teque in Reipublicæ, Ecclesiæ, Literarum, Familiaque honestissimæ commodum, fulcrum atque solatium, superstitem salvumque diu servet. Permansurus

NOMINIS TUI

*Cultor devotissimus
JOH. SOURANDER.*

Vice Borgmästaren samt Råd- och Handelsmannen i
Stapel. Staden Björneborg,

Ådel och Högadad

Herr JOHAN SOURANDER,

Min Huldaste Fader!

Tu framter sig för mig et gladt tilfälle, då jag offenteligen
här vitra den innerliga erkänsla och wördnad, hvilken i
från de spädaste åren hos mig legat fördold uti hertats innersta
gömmor. Då jag estersinnar, det jag näst För-snen har at
tillskriva Min Huldaste Fader mit lif, och åsven påminner
mig de stora wålgerningar, hvilka min H. Far ståd'e lä-
tit mig wederfasas; finner jag mig försitt uti en skuld,
den jag aldrig mågtar mig afborda. Den ömhet och
kjärlek hvarmed min H. Far mig omfannat, samt de
många och dryga omkostningar, som för min skul warit o-
sparda, dro de tydeligaste wedermålen af et Faderligit hjer-
telag. Jag erkänner gierna min oförtvogenhet, at en gång til-
börlijen kunna beprisa Min H. Fars godhet emot mig; men
smickrar mig deremot med den wifheit jag åger, at min H.
Far anseer min swaghets såsom en fullcoml ghet. Hvarfore jag
ock i all ödmjukhet fördristar mig upofra min H. Far detta
illa arbetet. Urtagen, min H. Far, denna gäfwan såsom et
teken af den sonliga wördnad, hvarmed jag under trågna sue-
kar til högden för Mine H. Föräldrars beständiga wålgang
och sällhet, til stoftet framhärdar.

Min Huldaste Faders

Ödmjuk-lydigste Son
JOH. SOURANDER.



§. I.

Licet haud pauci, nostro quoque ævo, ea opinione ducantur, multitudinem civium salutem Reipublicæ non constituere, verum potius tanquam pestiferam febrim esse reputandam; alii tamen, iidemque saniores fundamentum felicitatis civilis præcipuum in quantitate hominum posuerunt, idque firmissimis probarunt argumentis, quæ in medium proferre nostri vetat instituti ratio. Plurimum proinde refert, id omni cura agi, ut, quantum fieri potest, numerus crescat incolarum. Per multa quidem exstant media ad hunc finem obtinendum ducentia; hoc tamen, ut cuique corpus sit sanum, palmam omnibus aliis, quæcunque demum fuerint, præripere videtur, quod prolixis ostendere rationibus supervacaneum esse judicamus. Sufficiat monuisse

isse, homines sanos tantummodo ad officia rite præstanda & sibi & Patriæ idoneos esse. Prono hinc fluit alveo, non tantum omnes atque singulos, quantum in se est, suam curare sanitatem maximo jure teneri; verum etjam Summo Imperanti, cui potestatem civium felicitatis promovendæ gratia concessam esse novimus, id injunctum esse officii, ut saluti suorum etjam hoc in puncto probe consulat, atque ejusmodi edat leges, quibus hicce optime impetrari queat finis. Quæ cum ita sint, operæ pretium esse duximus, *De cura Imperantibus circa sanitatem subditorum*, pauca disquirendi, quæ B. L. ut serena, qua solēs, adspicias fronte, atque meditaciones hasce leves in meliorem interpreteris partem, Te magnopere rogatum volumus.

§. II.

Sanitatem vel infirmitatem corporis, partim ex singulari ejus constitutione, partim quoque ex ipsa ratione vivendi, dependere, res est evidentior, quam ut pluribus eam attingere sit necesse. Prius quod attinet, per quam felices prædicamus illos, qui natales sanis debent parentibus. Neminem quippe fugit, prolem conjugum, quorum vel alteruter vel uterque morbo, & quidem haud raro graviori, laborat, non posse non iisdem infirmitatibus contaminari. Difficile quidem est, matrimoniis hujusmodi hominum obicen ponere; interim tamen hi valetudinarii, saltem qui infirmitatibus premuntur

majoribus, a conjugio impediri & possent & deberent. Legibus etjam in nostra Patria ira sancitum esse constat. Sæpe numero quoque in utero matris fœtus corrumpitur ea de cauſa, quod ipsa inopia alimentorum fatigata, famen suam vilissimo depelle re cibo cogatur. Quamobrem neque hoc loco est reticendum, quantas calamitates apud mortales nimia gignit paupertas. Proximum hujus est conſetarium mœror, ex quo tristissima redditur vita humana, atque homo eo in statu est quasi meta, in quam omnes fere morbi sua conjiciunt tela. Hoc quod ita sit, experientia convincimur. Etenim si diversimode variisque ex cauſis morbi Epidemici orientur, eos humiles casas, in quibus summa haud raro adeſt penuria, primum adgredi animadvertis. Vetantur hi miseri fatis suis, sibi ipsis a morbis præcavere, inque eos illapsi debite curari. Hinc non mirandum, permultos in Patria nostra, nec non alibi ſæpiſſime, ex memoratis cauſis funere extingvi crudeli, quorum tamen vita & sanitas conservari tam potuiffet quam debuiffet. Quoniam itaque homines indigentia vietus tantas ærumnas in fe provocant, quibus tam ipsi quam soboles eorum & secunda valetudine & denique vita ipsa privantur; Imperanti certe maxime curæ cordique fit, oportet, ut pernicioſiſſimam hanc cladem optimis avertat præveniatque institutis, ne Respublica brevi temporis ſpatio incolis exhaustiatur, urbesque ac regiones defertæ relinquuntur. Videmus hinc, quam ſumme necessarium fit, ut Agricultura opera omni promo- veatur;

veatur, quemque usum insignem orphanotrophia ad parvulos parentibus orbatos pauperesque alienos instituta præstant. Annonæ difficultate homines miseri varia, sæpe valde noxia, ad famem explendam vitamque conservandam arripiunt. Hinc cansæ plurimorum morborum ipsiusque mortis. Summi igitur Imperantis est, omnem adhibere curam, ut provinciæ, quibus largior fuit messis, fama pressis succurrant, aut si hoc fieri nequat, ut frumentum ab exteris, variis immunitatibus concessis, importetur, &c, quantum gaza publica permittit, egenis gratis distribuatur: simul pauperiores, quorum numerus plerumque maximus est, per viros scientiæ Botanicæ probe gnaros fideliter instruendi sunt, quænam e plantis indigenis sine noxa omni vicem panis & aliorum obsoniorum supplere possunt.

§. III.

Nec minus tota mente Princeps in id incumbere debet, ne infantes in lucem edendi fœminæque parturientes ab obstetricibus, rudibus artis, ita trahentur, ut vel mox e vita discedant, vel hac retenta, jaeturam nihilominus sanitatis suæ faciant. Hujus rei plura exempla nobis tradit experientia. Horrendis his incommodis evitandis maxime certe conduceret, si nulli obstetricum, nisi antea bene informatæ examinataeque, genitricibus auxilo esse liceret; prout jam in plerisque nostris civitatibus egregie institutum est. Hinc etiam e Tabulis nostris nato-

natorum & denatorum patescit, duplam ferme partem infantum rori præ civitatibus mori; cuius rationem ad magnam omnino partem in inficitia obstetricum querendam esse intelligimus. Quid ad hæc mala avertenda summa valeat potestas, ex modo dictis satis patescere arbitramur.

§. IV.

Diligenter simul perpendentes multa magna que illa vitia, quæ in educandis infantibus assidue committuntur, nulli miremur, tot illorum aut statim post ortum aut primis jam annis, vel saltem florente sua ætate, vitam cum morte commutare. Quantæ infantibus sit calamitati fasciis involvi. quantum subita caloris frigorisque commutatio sanitati illorum obsit, quot morbi vehementissimi ex alimentis ineptis & quidem sæpe corruptis proveniant, quæ dannata his a nutricibus adferantur, quot denique perversa matrum cura in omni mollitie prolem edificantium aut præmatura mortis præda evadunt, aut valetudinarii semper existunt, pluraque hujus rei alia mala proferri atque prolixius exponi possent, quæ tamen omittenda sunt, ne a substrata declinantes materia, in medicam incidamus tractationem. Brevissimis tantum monstrabimus, quid sicstantibus rebus observet Imperans. Innumeri fere sunt modi, quibus hæc incommoda extirpari vel saltem leniri possunt; lubet tantum proferre, maxi-
mi fore momenti, si interdictum esset ad enutriendos

) * * , * * (

dos liberos nutricibus uti, vel ubi hoc evitari non posset, ut eadem prius Medicorum assensu approbarentur. Admodum etiam prodesset, si in quaque parœcia certi homines, de educatione liberorum probe informati, designarentur, quibus commissum esset, visitandi instruendique gratia itinera facere. Enimvero hoc modo efficeretur, ut parentes liberis suis vel justo plus indulgentes, vel curam sanitatis illorum plane negligentes, rite admonerentur. Cumque ii, quos dira paupertas premit, debitam curam infantium suorum aut non habent, aut difficulter habere possunt, saepaque lætantur, si præmatura morte tenelli hi abripiantur, variis premiis aut immunitatibus excitandi essent, ut solicitam sanitatis infantium agerent curam: Lex quidem ad hunc scopum obtainendum egregia novissimis temporibus in Patria nostra promulgata est, parentes certo numero liberorum præscriptæ ætatis gaudentes, non nullis oneribus eximens; sed vereor, ne impedimentis multis adhuc obnoxia sit, aut ea saltem ipsi, quorum curæ demandata est, caussentur.

§. V.

Experimur quotidie nostræque id docent Tabulæ, magnam omnino quantitatem liberorum, ut & adultorum, variolis naturæ debitum reddere. Quandoquidem autem morbus hicce vagus eatenus potest præveniri, ut tot hominum vita præda illi non cedat; omni cura id agendum est Imperanti,

B

ne

ne quidquam eorum, quæ ad vitam civium conservandam hoc in casu pertinent, omittatur. Maximo cum fructu in Patria nostra & in aliis quoque regionibus, variolos dudum jam Medici inserere cœperunt, quo medio multa millia hominum funere crudeli liberati sunt. Id vero dolendum, utilissimum hunc morem a quibusdam tantummodo receptum fuisse. Magni itaque est, singulos tam legibus quam exemplis eo perduci, ut vana seponant præjudicia, variolosque liberis suis inseri admittant, quo vitam sanitatemque retineant. Infantibus vero integris natis & rite nutritis, debitaque cura gesta ad varias, in quas haud raro incidere solent, imbecillitates a verruncandas, multum interest, ut corporis augmentur vires. Quoniam autem hoc pro diversitate parentum & liberorum variat, adeoque prolixius exponi deberet, svadet imperata brevitas, ut id prætermittamus.

§. VI.

Progredimur itaque ad ætatem adultiorem. Licet corpora bene omnino a natura sint disposita, docet tamen experientia, morbos eosque sæpe vehementissimos variis ex caussis in homines irrepere. Qua vero ratione plerisque horum cura Imperantis medeatur, breviter exquisituri sumus. Quemadmodum aër in corpora nostra multum influit, ita & mala ejus conditio plures infert infirmitates. Verum si hæc mala arceantur, necesse est, ut eæ tollantur caussæ,

caussæ, quibus aër noxiis impletur particulis, quæ respiratione absorptæ, graviores haud raro efficiunt morbos. Hinc ırbes vicique in locis paludibus limisque adjacentibus non essent exstruendi. At si jam exstructi sunt, aut hoc commode fieri non potest, humida hæc loca evacuari, nihilque quod ad finem hunc obtainendum conferat, negligi debet. In condendis urbibus vicisque etjam observari meretur, ut aqua, eaque bona & pro futuris temporibus sufficiens, adsit; ideoque ad lacus ut flumina collectur puteique effodianter. Porro in domibus mundities certe adhibenda est, multum ad valetudinem servandam conducens. Potest autem hic finis dicto summi Imperantis optime obrineri. Cujus præterea est, tales sancire leges, quibus istis incommodis, quæ ex dictis nascuntur caussis, medela afferatur. Marte sæviente, non solum opes, verum etjam sanitas & ipsa vita multorum incolarum periclitantur. Militum vero præ cæteris hæc fors est. Summo Imperanti igitur curæ cordique erit, bellum nunquam nisi maxima exigente necessitate susciperre; suscepto vero diligenter curare, ut militibus omnia, quæ ad victum, amictum, sanitatemque necessaria sunt, abundantiter adsint. Copia virorum in arte medica egregie versatorum instructus sit exercitus, necesse est. In primis cura omni providendum, ne quis illorum, qui commeatus exercitui comparant, proprio lucro inhians, cibaria corrupta & vitiata pretio vili emta militari munere fungentibus distribuat, quo partem pecuniæ publicæ emtor ejusmodi

modi insigni jactura sanitatis & vitæ multorum hominum furripiat. Per immoderatum haustum Spiritus vini, aliarumque ejus generis potionum vitam breviores, saltem valide miserabilem reddunt mortales; sapientis Patris Patriæ est igitur usum veneni hujus quovis modo cohibere. Idem de pernicie Luxus dicendum.

§. VII.

Quod attinet ad morbos illos, qui aliquando graffantur; pluraque millia hominum absorbent, omnium primo summo jure pestis venit consideranda. Quantas unicuique Regno clades acerrima hæc febris certis intulit temporibus, innumeris fere Historia confirmat exemplis. Sic pestis quæ anno 1656 in Regno Neapolitano vagabatur, intra sex mensium spatium trecenta millia hominum necavit, non numeratis, qui in ditione Venetorum, Genuensium & Romæ exspirarunt. Neque hospes hicce formidabilis nostræ pepercit Sveciæ. Loget enim adhuc Patria nostra ejus vestigia. Hodie etiam multi vivunt, qui de ingenti illa loquuntur calamitate, quæ anno 1710 universum fere regnum nostrum vexabat. Propterea Magistratus Civilis tota in id incumbat mente, ut, quantum in humanis sit viribus, malum hoc & impediatur & avertatur. Hinc etiam in nostris regionibus ad morbum hunc atrocissimum averruncandum, saluberrima omnino instituta reperimus. Horum luculentissimum documentum nunc temporis existat, dum quatuor circiter millia militum sunt

sunt in loco, qui confinis est Russæ, ubi pestis
grassata est, finium nostrorum custodiendorum gra-
tia. Sed sæpius quoque vagantur alii morbi conta-
giosi, qui licet sint peste mitiores, multis tamen
vitam adimunt. Ejus plerumque hi sunt indolis, ut
justis constitutionibus præveniri atque sanari pos-
sint. Ast accidit, cum homines hujusmodi morbis
impliciti, vel nullis vel iisdem perversis utuntur re-
mediis, ut malis his consumantur. Hujus rei gra-
tia præmia essent ponenda, aliisque cohortationibus
juvenum incitandi animi, ut artibus medicis ope-
ram dent, inque iis partibus optatos studeant face-
re progressus. Postquam autem hi metam proposi-
tæ disciplinæ, justam videlicet eruditionem experi-
entiamque, contigissent, ad remotiora mittendi lo-
ca, ut ægris adsint, ne infirmitates sanabiles mor-
tem illis maturent. Ut vero eo lætiore suis fun-
gantur officiis, neque pauperiores, præmiis laborum
medicorum compensandis, lassentur, talibus Medicis
ornentur stipendiis, quæ ad victimum atque amictum
aliaque ad vitam commodam reddendam pertinen-
tia, sufficiant. Multum etiam sine dubio ad sanita-
tem incolarum conferret, si ii, qui muneri sacro se
consecrant, particulam quandam temporis studio me-
dico tribuerent; non enim possibile est in tam vasta
regione, qualis Finlandia nostra est, ut Medicus tam
cito semper præsto esse queat, ac conditio ægroti
& morbi sæpe requirit; ministri autem sacri & sem-
per fere adesse possunt, & in illos summam fiduci-
am plerumque collocant auditores, Sacerdotes sci-

entia medica probe imbutos maximam utilitatem Patriæ in morbis auditorum aut evitandis aut sanandis adtulisse, varia evincunt exempla.

§. VIII.

Veruntamen non de personis solum, morbis curandis idoneis, summi Imperantis est sollicitam gerere curam, sed &, ut sufficiens copia bonorum & non vitiatorum medicamentorum in locis inveniatur singulis. Hinc non in una aliave civitate, sed in plurimis omnino locis Myropolia instrui deberent, unde cito commodeque accipi possent remedia, & ægrotantes ad ista sibi acquirenda melius impelli. Nec minoris est momenti, ut justo pretio medicamina emantur. Abs re itaque haud foret, si illis legitimum imponeretur pretium, quod tamen, ut probe notandum, ita adtemperatum sit, oportet, ut neque Pharmacopolis, qui magnas fecerunt impensis, damnum inferatur, neque emtores injustis solutionibus usū medicinæ arceantur. Si medicamenta quædam tutissima contra morbos periculosissimos, e.g. Cancrum, Spacelum &c. inventa, in secretis vero adhuc habita, noverit, nulli pretio parcat summus Imperans, ut ea in sanitatem multorum hominum detegantur. Quantam salutipublicæ valetudinaria adferunt utilitatem, non est ut pluribus ostendamus. Cernimus enim quotidie non paucos sed multos omnino infirmos, qui alias paupertate & miseria certissime essent perituri, ex hisce domibus, ubi de illis sanandis gratis omnis geri-

geritur cura, sanos exire. Hinc non potest non civium crescere multitudo, utpote Salus Patriæ tu-tissima. Taceo, studentes artibus medicis ibi occa-sionem habere, in laudata disciplina sese excercen-di, adeoque sumtuosa itinera ad exterros evitare pos-se. Jam vero in nostra Republica raræ admodum sunt hujusmodi domus. Nihil igitur optabilius, nihil utilius, quam ut tot locis, quot unquam fie-ri potest, cito citius easdem extrui curet, cui sum-ma data est potestas, eoque magis hoc fiat, quo certius est, tanta bona, quanta sunt vita hamana sa-lusque publica, isthinc procul dubio emanare.

Magnopere autem dolendum est, donum illud gratuitum, quod jussu Augustissimi Patris Patriæ in nuptiis & ad baptismum infantum recens natorum colligi solet, quotannis magis magisque diminui; cura igitur omni, omni persvassione excitandi essent omnes ad opus tam pium, tam utile aliquid largius quavis data occasione conferendum.

Sunt hæ B. L. meditationes, quibus curam Imperan-tis circa sanitatem subditorum explicare conati sumus. Si feliciori Minerva elaborata exemplisque plenius illu-strata esset ceteroquin pulcherrima materia, se quoque Tibi magis redderet commendabilem; cum vero aucto-ris sui imbecillitatem, remque angustam domi variis prodat defectibus, Tua eos contegat humanitas, quod etjam atque etjam rogamus.

S. D. G.



